



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiss Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726

VD18 80217915

Consultatio. IX. Connubium Virginale: ubi fit sermo de Matrimonio SS.
Virginis cum S. Josepho.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45581

anemus, ut conservemus puritatem usque ad mortem.

Hæc ipso dicente, quæ plurimum apta erant ad commovendos animos, unus è societate totus erat meditabundus, & videbatur aliâ occupatus cogitatione subtrahente sibi attentionem ad ea, quæ dicebantur. Quid cogitas, inquit ipsi, Viator noster? Audi vi, inquit, magnâ cum voluptate ea, quæ dixisti, de puritate Angelicâ Sanctissimæ Virginis, de

æstimatione, in quâ ipsam habuit, de amore, quo ipsam est profecuta: Sed admiror, quod consenserit in desponsationem cum Sancto Joseph, cum obstrinxerit se DEO per votum expressum ad conservandam semper Virginitatem suam. Videtur mihi fecisse votum Virginitatis, seque desponsare, non bene stare simul. Hæc difficultas fuit, quæ servijt pro argumento Consultationis sequentis, uti intelliges.



CONSULTATIO IX.

Connubium Virginale, ubi fit sermo de Matrimonio Sanctissimæ Virginis cum Sancto Joseph.

Difficultas circa votum castitatis, & matrimonium Sanctissimæ Virginis.



Non bene comprehendendo hoc mysterium, dicebat ille, qui ansam dedit Consultationi; simul conjungere non possum hæc duo, quod Sanctissima Virgo nuncupaverit Votum Virginitatis perpetuæ, & annutum præbuerit, ut cum Sancto Joseph matrimonij obstringeretur viminæ. Votum castitatis ex propriâ naturâ suâ est Sacrificium, quo proprium Corpus offertur & immolatur DEO; & matrimonium est reciproca donatio; quâ duæ Personæ, Vir & mulier sibi invicem tradunt sua

Corpora. Si igitur Sanctissima Virgo Corpus suum immolavit DEO ab infantia suâ per votum Virginitatis, quomodo illud donare & tradere potuit Sancto Joseph per matrimonium? si ipsa id obtulit DEO Sacrificium matutinum, quomodo resumere potuit suam victimam, ut immolaret eam homini in ætate suâ nubili? an sefellit fidem DEO, rumpendo votum suum, ut obstringeret se viro per matrimonium, quod licitum non est personis, quæ ligantur expresso voto castitatis.

Sanctus Hieronymus in suis ^{Sola voluntas nubendi} Comentarijs super primam Epistolam

damnabilis est habenti votum castitatis.

S. Hieronij. sup. e. 4to. epist. 1. s. Pauli ad Timoth.

Impietas Calvini condemnat Sanctissimam Virginem.

stolam Sancti Pauli ad Timotheum, ejusdemque Caput quintum, exaratum reliquit quandam sententiam, quæ recipitur à totâ Ecclesiâ: *Votentibus castitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est.* Nonne verum est, quod femina, quæ semel dedit fidem suam alicui viro, dare ipsam amplius non possit alteri, quin noxam incurrat turpis adulterij? quanto magis probrosus est illi, quæ semel dedit fidem suam DEO per votum castitatis, si exin det ipsam viro per matrimonium? Sanctissima Virgo, quæ nunquam minimo peccato veniali se obstrinxit in totâ vitâ suâ an enorme adedò commiserit crimen; quoddam tolerandum non foret in maximis peccatoribus? Hem! quis minimam ejusmodi concipere audeat cogitationem? quomodo igitur concilientur hæc duo tam incompatibilia, quoddam fecerit votum Virginitatis inviolabile ac irrevocabile, & consenserit, ut nupti traderetur Sancto Josepho?

Calvinus diceret, quod ipsa illuserit Sancto Joseph, promittens ipsi potestatem sui corporis, quod amplius suum non erat, edquod per votum suum jam illud donaverat DEO; quodque, cum nec possit nec velit id ei tradere, simulans tamen ac si reipsâ traderet violaverit jura Sacri matrimonij, faciendo Contractum malæ fidei,

Sed impietas hæc est, quæ proferri non potest nisi ex ore infamis alicujus Hæresiarchæ, cujusmodi est ipse. Credo firmissimè, Sanctissimam Virginem peccasse nunquam in aliquâ vitæ suæ actione; credo ipsam infidelem nunquam fuisse, neque DEO, neque Sancto Joseph, ipsamque bonâ fide contraxisse cum ambobus, cum DEO per votum Virginitatis suæ, promittendo ipsi, castissimum corpus suum unice ipsius fore, nec unquam ab ullo alio id fore possidendum: Cum Sancto Joseph, pollicendo ipsi, Corpus suum ad ipsum spectare, ipsumque illius habiturum possessionem; siquidem in hoc consistit essentia Matrimonij. Et ecce duo, quæ mihi videntur tam opposita ut illa inter se conciliare non possim.

Ne mireris hoc adedò, respondit Viator noster; quæstio, quam proponis, est reipsâ tam difficilis resolutionis, ut non solum fatigaverit pleròsque Theologos, sed etiam exercuerit ingenium præcipuorum Patrum Ecclesiæ, qui plurimum laborarunt in conciliandâ veritate ipsius voti, cum veritate ipsius matrimonij. Aliqui, ut hanc difficultatem effugerent, dixerunt, ipsam non fecisse tam votum, quam firmam resolutionem faciendi votum ante suum matrimonium; consequenter ipsam semper fuisse liberam ad matti.

Quomodo Sancti Patres & Doctores Catholici simul concilient votum & matrimonium Sanctissimæ Virginis.

An
sim
ver
Co
Sar
sep
S.

matrimonium amplectendum; & nonnisi post ipsum jam contractum nuncupasse votum formale illius cum Sancto Joseph. Sed pauci amplectuntur hanc sententiam; plerique consentiunt, ipsam fecisse votum castitatis à tenera suâ ætate & infantia.

Alij majori in numero, admittunt veritatem & obligationem voti ipsius, sed dicunt, ipsam non contraxisse verum Matrimonium cum Sancto Joseph, sed certam quandam societatem, quæ non habebat nisi speciem duntaxat Matrimonij, quæque aliam obligationem secum non traheret, nisi habitandi simul, se invicem juvandi, & reciprocè assistendi in necessitatibus suis, ita ut Sanctus Joseph fuerit maritus Sanctissimæ Virginis haud aliter, quàm fuerit Pater JESU Christi. Sanctus Gregorius Nyssenus videtur etiam hujus opinionis esse, dum

Sanctum Joseph nuncupat *sponsum*, non *maritum* *MARIÆ*:

Et Sanctus Hieronymus, quando dicit, quod ipse sit *nutritius*, non *maritus*; œconomus & provisor necessitatum familiæ, non verus Pater JESU, nec verus conjux *MARIÆ*, & Sanctus Chrysológus, quando affirmat, ipsum habuisse nonnisi nomen & apparentiam, non veritatem mariti Sanctissimæ Virginis. Verum nec hi, nec alij sequuntur in hoc communem sensum totius Ecclesiæ; siquidem hæc firmiter credit, tam votum Virginitatis perpetuæ Virginis Sanctissimæ, & ipsius matrimonium cum Joseph pari ratione esse vera, hæcque duo, quæ ita videntur incompatibilia, perfecte conciliari & simul stare in ipsius personâ. Interrogas quomodo? id tibi ab initio mox explanabo.

Chrysológus serm. 175.

* * *

ARGUMENTUM.

Sanctissimæ Virgo contraxit verum Matrimonium cum Sancto Joseph.

ARTICULUS I.

An Sanctissima Virgo vera fuerit Conjux Sancti Joseph?
1. Matth. c. 1.
3. Luc. c. 2.

ESSet inferre vim sensui literali Sacræ Scripturæ, qui tam clarus est in Evangelio, si dubitaretur, an Sanctus Joseph verè fuerit maritus Sanctissimæ Virginis. In Sancto Matthæo capite 1. dicit ipsi Angelus: *Noli timere, accipere MARIAM con-*

jugem tuam. In Sancto Luca capite 2. dicitur. *Ascendit Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum MARIÆ desponsatâ sibi uxore pregnante.* Et ecce, quod Sancto Joseph fuerit *MARIA* juncta conjugio. Erat inolita consuetudo, quæ veluti lex censebatur

li 3

inter

inter Hebræos, ut omnes puella quæ educabantur in Templo, darentur nupti vel per presbyteros, vel per suos parentes aut consanguineos, ubi primum viro habitum attigere ætatem; eligebatur ipsis ex eadem tribu suâ aliquis in consortem, qui magis videbatur idoneus ipsarum conditioni, ipsarum indoli, aliisque ipsarum dispositionibus. Hinc presbyteri, qui aspiciebant Sanctissimam Virginem, velut Angelum in corpore mortalem conversantem, quique velut ipsius tutores eximere ipsam non poterant à nubendo, in ætate, ubi amplius decens non erat, permanere ipsam in templo, conati sunt indagare aliquem, qui propius accedebat ad ipsius Sanctitatem; & divina providentia, quæ ab æterno prædestinaverat Sanctum Joseph, designavit ipsis per speciales notas, ipsisque indicavit, illum esse, qui elevari debebat ad hoc fastigium honoris, qui ipsis Angelis cedere poterat invidiam, si capaces fuissent matrimonij.

Sanctissima Virgo & Sanctus Joseph nupti dederunt suam Virginitatem potius, quam sua corpora,

Verum an votum ipsius permittebat illi acceptare Joseph ceu maritum suum, postquam consecraverat se DEO. Nolo respondere ex meipso, sed audite Hugonem à Sancto Victore, qui audiebat sæculi sui Augustinus. Ipsius responsum doctum est & prudens, & absque ambagibus: Ne dubitetis, inquit, quin Ma-

trimonium Sanctissimæ Virginis cum Sancto Joseph stare poterit cum ipsius voto! Ratio est, quod, cum in omnibus regeretur à dictamine & moderamine Spiritus Sancti, qui nunquam ipsi dederat, ipsa per certissimam revelationem exploratum habuerit, quod contractum à se connubium cum Sancto hoc viro nunquam explendum foret opere aliquo carnali, quodque potius nupti darent suam Virginitatem ex voto communi, quam sua corpora: siquidem in quo consistit essentia veri matrimonij nisi in legitimâ quâdam societate inter virum & feminam, qui ex mutuo consensu, tradunt se sibi invicem? ita ut, sicut dicit Sanctus Paulus, mulier juncta viro sui corporis potestatem non habeat, sed vir; & similiter vir sui corporis non habeat potestatem, sed mulier; & in reciproca hæc obligatione consistit essentia matrimonij. Et hæc obligatio tam fortis est, ut non nisi mors dissolvere ipsam possit, & quamdiu ipsa durat, perdurat quoque matrimonium in totâ perfectione suâ.

Si quidem ea omnia, quæ consequantur consensum hunc voluntarium tradendi se sibi invicem, quæque inserviunt ad generationem naturalem prolium, nec pertinent ad essentiam, nec ad perfectionem matrimonij, quia habere id potest omnem suam perfectionem.

Matrimonium Sanctissimæ Virginis habuit omnia bona perfecti matrimonij cum Virginitate,

fectionē absq; his omnibus. Theologi conveniunt omnes in hoc quòd tria sint bona in matrimonio, quæ omnem ipsius constituunt perfectionem: Fides, proles, Sacramentum; id est, fidelitas fructus, mysterium, fidelitas consistit in hoc quòd nulla partium in altera committat injustitiam, defraudando illam aliquo bono, quòd ad ipsam pertinet; sed quælibet dicere possit cum veritate ad alteram: Conseruo tibi fideliter Corpus meum, quod tuum est. Fructus non solum sunt proles & liberi (quod enim matrimonia careant prolibus, sive per impotentiam quandam naturalem, vel per impotentiam quandam voluntariam, ad quam conjugati semetipsos redegerunt per votum aliquod continentie ex communi consensu factum; & tantum abest, ut hoc imminuat perfectionem matrimonij ipsorum, ut potius ipsorum unio tantò fiat perfectior, quantò est spiritualior, purior sanctior) sed fructus ipsius sunt omnes aliæ prerogative, quæ hauriuntur ex intimâ amicitia; quæ perpetuò conjungit perfectos duos amicos. Tandem mysterium consistit, sicut Sanctus Paulus docet in hoc, quòd unio sit tam perfecta inter Personis conjugatas, ut representet unionem JESU Christi cum suâ Ecclesiâ: Sic enim de hac re loquitur. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.*

Ephes. 5.

Ne igitur interrogas amplius, an conciliari simul possint votum Virginitatis, quod Sanctissima Virgo nuncupaverat à teneris suis, & initum cum Sancto Joseph Matrimonium: Facit ipsa votum, se permensuram semper Virginitatem, semperque hanc retinet constantem voluntatem inviolabiliter servandi illud; & nihilominus tradit viro Corpus per Matrimonium, eòquòd certò sciat, non esse voluntatem DEI, nec futuram etiam unquam voluntatem Sancti hujus Viri, ut aliquid agatur in ipsâ adversus puritatem voti sui. Et tantum abest, ut violet votum suum, ineundo conjugium, ut potius tunc illud congeminet, attrahens Sanctum Joseph castissimum sponsum suum in suorum affectuum societatem, ubi eodem tempore ambo admirabiles duos ineunt contractus, unum inter se, alterum cum DEO: Ineunt inter se contractum Matrimonij, per quem Sanctissima Virgo tradit Corpus suum Sancto Joseph, & Sanctus Joseph tradit Corpus suum Sanctissimæ Virgini, quòd idem est, ac si sibi invicem fecissent reciprocam donationem duorum Sanctorum Corporum, duarumque pretiosissimarum Reliquiarum, ad recipiendum illas cum reverentiâ, & conservandum ipsas cum veneratione. Et eodem instanti ineunt quòque contractum cum DEO

S. Joseph & Sanctissima Virgo fecerunt eodem tempore duos contractus; unum matrimonij, alterum continentie.

DEO per votum Virginitatis perpetuam, mediante quo contenti dominio, quod in se invicem gerebant, in perpetuum renuntiabant utri, Deoque promittebant consecrare ipsi indefinenter corpora sua & animas suas per innocentiam & puritatem.

An fuit unquam Matrimonium perfectius & acceptius oculis DEI, magis admirandum oculis Angelorum & hominum. Magne Sancte Joseph, quam gloriosam amplecteris societatem, dum conubio te jungis Regina Angelorum & Matri Unigeniti Filij DEI, sed quam sublime conscendis felicitatis culmen, dum Corporis Sanctissimæ Virginis tibi comparas possessionem. Ita, tuum hoc Corpus est, & legitimo ad te spectat jure, sanè thesaurus, qui majoris sit valoris, quam universus simul mundus. Quando corpus hoc Virgineum Sanctissimam suppeditabit Humanitatem, quæ æternum iuduet se Verbum, dicere tu poteris, tuam esse carnem, quam induerit, eoque caro sit, quæ pertineat ad te: Sic nuncupaberis ipsius Pater, & non nisi tu ex omnibus filijs Adæ glorioso hoc condecoraberis elogio. O admirabilem dignitatem, ad quam te tuum extollit conjugium!

Sed ipsamet tu, Sanctissima Virgo, nonne locupletata es plurimum, quando tuo consignatum est dominio Corpus Sancti

Pretiosum
Corpus Sancti
Joseph,
ad quod
Corpus
spectat Sanctissimæ
Virginis.

Sanctissima
Virgo valde
locupletata
fuit
possidendo

Joseph, ex legitimo jure, quod tuum tibi confert Matrimonium? inprimis acquiris pretiosum quendam thesaurum, cujus solus Deus cognoscit valorem, eoque non verit solus ipse, quot & quantis repleverit ipsum favoribus. Secundò habes virum secundum cor DEI, qui datus est tibi ad complendum in te æterna ipsius consilia. Ecce tibi præcipua, quæ explorata sunt nobis: Ut nimirum magnâ cum reverentiâ custodiat puritatem tuam Virgineam; ut dividat tecum gloriosos labores in educatione Infantis JESU; ut serviat tibi ceu sulcrum & solatium in omnibus pressuris & adversitatibus vitæ tuæ; ut sit amicus & fidelis depositarius occultissimarum cogitationum tuarum. Tertio, cum verum sit, Virgo Sanctissima, futuram te solam Patrem & Matrem Infantis JESU, suppeditando è solo Corpore tuo Virgineo omnem substantiam Sanctissimæ ipsius Humanitatis: Nonne oportebat habere te Virum, qui esset alter tu, sicque duo haberes Corpora, unum, quod dederat tibi Natura; alterum, quod tui gratia Matrimonij acquiserat tibi, ut in his duobus Corporibus ad te pertinentibus, sola esses Pater & Mater charissimi tui Filij?

Sanctus Hieronymus scribens Palcher
contra Helvidium, inquit: Tu
dicis, MARIAM non permanisse
Hieronymi

Sanctum
Joseph ob
plures rati-
ones.

contra
vidium

contra Hel-
vidium.

se Virginem, edquod nupta fuerit Sancto Joseph; Et ego plus adhuc dico, quod ipsemet Joseph permanserit semper Virgo per MARIAM, ut ex Matrimonio maxime Virgineo nasci videretur Filius Virginis: Ipse Virgo est inter duas Virgines, sicut liliū duo inter lilia. An dicas, non verum id esse Matrimonium, dum adornatum illud vides tam gloriosā fecunditate? An dicas, non esse id matrimonium omnino Virgineum, dum ubique nonnisi Virginitatem vides, ubi Pater est Virgo, ubi Mater est Virgo, ubi Filius est Virgo? Non est hic, nisi in omnibus triumphus Virginitatis. An dicas, non esse id Matrimoniorum omnium perfectissimum, dum includere illud excellentissime vides bona omnia, quæ in matrimonio desiderantur, Fidelitatem, prolem mysterium. Intueri vis prolem? aspice Infantem JESUM: ipse est Filius Unigenitus, sed ipse solus majoris est cunctis simul hominum filijs. Intueri vis fidelitatem? aspice, ipsos nunquam habuisse, nisi unum idemque cor, nisi unam eandemque voluntatem? Erat hæc unio duarum personarum, quarum votum, Matrimonium, & charitas Sancta triplicem conficiebant funiculum nullo unquam tempore disrumpendum. Tandem iatueri vis mysterium & Sacramentum? aspice, an unquam fuerit inter ipsos vel primum divortium. Verba

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

Sancti Augustini tam eximia hic sunt, ut taceri non debeant: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsam Dominum JESUM; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.*

Sed illa Sancti Apostoli Pauli, quæ scribit in secundâ Epistolâ ad Corinthios, admiranda profus sunt: *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Nonne credis, ipsa scripta non esse, nisi ut declarent excellentiam Matrimonij Sanctissimæ Virginis cum Sancto Joseph? Despondi te viro, ut offeram te JESU CHRISTO, vel ut Virginem castam. Ecce tibi matrimonium omnino inusitatum, quod factum non est, nisi ad consecrandum Virginitatem: Desponsata es viro, sed non pro viro hoc desponsante te, verum pro Deo, in cujus Nomine te desponsat.

Hoc fermè est, sicut magni Principes sua ineunt matrimonia. Aliquis Imperator vel Rex mittit Legatum suum in aliud regnum, desponsatum nomine suo aliquam principissam; desponsat is ipsam ipso opere, & principissa, quæ promiserat se Regi, tradit se ipsius Legato, personam ipsius representanti: Verum licet matrimonium verum contrahat cum ipso, ita tamen res habet, ut possiden-

K k

S. Augustia
lib. 1. de
nuptiis &
concupi-
scentiâ.

2. Cor. 1.
S. Pauluse-
gregiè ex-
primit Ma-
trimonium
Sanctissimæ
Virginis cū
Sancto Jo-
seph.

da non fit; nisi ab ipso Rege. Sponsus hic cæremonarius & mandatarius recipit illam, cum quâ init matrimonium, magnâ cum reverentiâ, ipsâque inviolabili cum fidelitate conservat velut rem Domino & Regi suo propriam, ex quâ nihil is præterdit sibi, nisi honorem, quod eadem integritate, quâ recepit, consignet ipsam in manus Regis Sponsi & Conjugis sui.

Spiritus S. desponsat Sanctissimâ Virgine per Sanctum Joseph; sicut Rex aliquis desponsat Reginam per suum Legatum.

Sic propè res se habet cum Matrimonio Sancti Joseph: quando Sanctissima Virgo contrahit cum ipso, illa tradit possessioni ipsius castissimum Corpus suum, quod consecraverat Deo per votum Virginitatis suæ; sed ipsa probè novit, non esse hoc pro illo; ipsa desponsat se illi velut Legato Summi Monarchæ, cui promiserat se ab infantia suâ. Est quidem Sanctus Joseph, qui cum ipsâ init matrimonium, quique exterius erit ipsius maritus, sed in veritate ipsa non possidebitur nisi à Spiritu Sancto, qui in æternum erit divinus ipsius sponsus: ex ipso solo concipiet Filium suum Unigenitum; per ipsum solum evadet Mater proprii Filij Dei; per virtutem ipsius progignet illa nobis Salvatorem mundi. O miraculum! ò prodigium hujus matrimonij omninò singularis, quod sibi æquale habet nullum! ò fecunditatem gloriosam, progignentem Unige-

nitum Patris; nascentis ab æterno in splendoribus Sanctorum! ò admirabilem fidelitatem, cujus Spiritus Sanctus, qui sacer est nodus Patris & Filij, omnipotens est vinculum, quod disrumperetur nunquam! O Sacramentum, ò mysterium profundum & incomprehensibile tam Angelis, quam hominibus! omne bonum nuptiarum, proles, fides, Sacramentum.

O quantis abundat illecebris hujus pulchritudo matrimonij ad conciliandum sibi summam existimationem! ò Deus quantâ virtute, quantâ potentia parat & parit sibi amorem! Hem! quantos videre erat ex hoc tempore Imperatores & Imperatrices, Reges & Reginas, Principes & principissas, Nobiles & ignobiles, qui Sancto stimulari zelo imitari voluerunt divinos hosce sponfos, MARIAM & Joseph; & roborati potenti gratiæ auxilio, expugnarunt & superatarunt omnes infirmitates naturæ, nuncupando castitatis votum eodem consensu, eodem tempore, quo suum contraxere matrimonium; & inviolabiliter servando illud toto vitæ suo spatio colligunt modò ejusdem fructus in æternitate.

Tales extiterunt Sancta Cecilia & Sanctus Valerianus, sicut recensetur in actibus Martyrij ipsorum; Plures conjuges imitati sunt MARIAM

& Joseph,
jugendo
votum ca-
stitatis cum
matrimo-
nio.

rum : Tales exiiterunt San-
ctus Henricus II. Imperator,
cum Imperatrice Cunegunde ;
Eduardus Rex Angliæ cum E-
dithâ Consorte suâ ; Boleslaus
Rex Poloniæ cum conjugē suâ,
Cunegunde alterâ ; Alphonsus
cognominatus Castus cum Bertâ
uxore suâ ; Martianus Impera-
tor cum Pulcheria Augusta ; San-
ctus Elzearius comes Ariani,
cum Sanctâ Delphinâ. Verùm
quis recensēbit omnes in parti-
culari, qui absconditam cogniti-
oni hominum ducentes vitam,
alios Sanctorum exercitiarum
suorum non habent testes, nisi
oculos Dei ? O quis enarrare
poterit spiritualium consolatio-
num abundantiam, quâ remu-
neratus est ipsis DEUS par-
vam hanc mortificationem, quàm
tolerârunt, privando se sen-
suum oblectamentis ? Sed quis
imaginari sibi poterit progres-
sum, quem fecerunt in virtu-
tibus ; prædivites, quos sibi
accumulârunt, meritorum the-
saurus, & splendidissimas, quas

in æternitate possidebunt, coro-
nas ?

S. Augustina.
epist. 45.

Verum est, inquit, quoddam pu-
ritas, quæ singulare videtur esse
ornamentum in personis liberis,
gloriosa esse non desinat in
personis conjugatis ; quodque
Sanctus Augustinus miris extollat
laudibus in Epistolâ suâ quadra-
gesimâ quintâ factum ejusmo-
di votum inter Armentarium &
Paulinam. Verùm, qui ample-
cti volent continentiam, vitam-
que ab omni carnis amplexu a-
lienam, nonne adhuc melius fa-
cerent, si prorsus abstinerent à
Matrimonio ? Quid opus fuerat,
quod, cum Sanctissimâ Virgo fe-
cerit votum Virginitatis in infantia
suâ, jungeretur matrimonio ?
Nonne præstitisset ipsam mansisse
liberam ab ejusmodi vinculo, à
quo semper relinquitur suspicio,
quæ præjudicium pariat Vir-
ginitatis splendori ac gloriæ ?

Respondi ad hoc, uti
percipies.

✠ (o) ✠



Kk 2

ARGU-

ARGUMENTUM.

Conueniens erat, Sanctissimam Virginem jungi matrimonio cum Sancto Joseph ob plures rationes.

ARTICULUS II.

1 Cor. 7.
Effatum 3.
Pauli;
quod, qui
non nubit,
melius fa-
ciat, non
concerit
sanctissimā
Virginem.

Divine Sancte Paule, effatum est tuum; quod Virgo, quæ nubit, benè faciat; sed, quæ non nubit, faciat melius. Plures dicunt, contentus sum faciendo benè, & relinquo alijs, facere melius si voluerint: Sed Sanctissima Virgo an loqueretur ita? An dubitari potest, quin, cum ipsa sit creaturarum omnium perfectissima, semper fecerit, quod erat melius? Ecce igitur amplexa est matrimonium, cum melius fecisset abstinendo ab hoc vinculo? Verum est, quod pro cæteris omnibus Virginibus status liber à vinculis matrimonij melior sit illo, qui obstringit ad portandam hoc jugum; sed respectu Sanctissimæ Virginis totum habetur contrarium: Matrimonium erat status non solum conueniens, sed etiam necessarius pro ipsa: En efficaces & validas hujus rationes, quæ applausum mereantur, omniumque consensum!

Prima ratio, ob quã oportebat Sanctissimam Virginem jungi Matrimonio.

Prima est, quod ipsa futura esset Mater Salvatoris mundi: Quia ergo debebat esse Mater, necesse erat ipsam jungi matrimonio. Hoc nihil probat, dicebam ipsi, respectu Sanctissimæ Virginis; edquod futura non esset Mater ex Matti-

monio, sicut aliæ mulieres, sed ex Virginitate, & absque consortio alicujus Viri. Verum est, inquit, sed mundus, quem latebat profundum hoc mysterium, quid dixisset? O Deus! quid judicasset de puellâ, quam vidisset gravidam, quam aspexisset puerperam, quam observasset portantem in gremio filium, suisque lactantem uberibus illum? quo oculo aspexisset illam nisi velut perditam, prostitutam ac infamem. Sed quando videtur, ipsam esse conjugatam, formari de ipsâ non poterit finistrum judicium, nec malè sonans, malè sanus sermo.

Non erat totum perdisse apud homines famam; sed agebatur de ipsâ quoque vitâ; siquidem Lex Moysis condemnabat adulteros, ut lapidarentur; sicut manifestum est ex historiâ castæ Sufannæ, & exemplo istius scemine adulteræ, quæ oblata est Salvatori nostro, quamque pronuntiavit literam, scribens digito peccata accusatorum ipsius, in terrâ: Et ne credas, legem hanc solum fuisse pro adulteris, matrimonij sui violantibus fidem; sed ex Deuteronomij condemnabat ejusdem pœnæ puellas, quæ peccaverant contra pudorem extra
matti-

Deut. 22.
v. 21.

matrimonium: Si non est in puellâ inventa Virginitas; eiciant eam extra fores domûs Patris sui, & lapidibus obruant viri civitatis illius, & morietur. O Deus! si hæc lex observaretur modò, plurima forent loca, ubi non maneret lapis saper lapidem, tantas operteret lapidare.

Secunda c-
jusdè ratio.

Hæc sola ratio sufficeret, ad declarandum, necessarium fuisse, ut Sanctissima Virgo jungeretur matrimonio, tum pro honoris, tum pro vitæ ipsius præsidio. Verùm si prima hæc ratio, quæ honorem tangit & bonum Sanctissimæ Virginis, non sufficeret, militat adhuc altera, quæ concernit gloriam Filij ipsius Unigeniti, & est potentissima. JESUS Christus est Messias hic tanto tempore expectatus, à Deo Patre suo missus in terram, ut perficeret magnum opus Redemptionis mundi. Considera benè magnitudinem & pondus hujus negotij, quod requirbat personam omni ex parte irreprehensibilem; siquidem immutata is debebat legem Moysis, in illam Sancti Evangelij: haud dubiè ergò tolerandæ ipsi erunt contradictiones Pontificum, Legis Doctorum, Scribarum, Phariseorum, & totius Nationis Judaicæ. Quid accidisset, si exprobrare potuissent ipsi illegitimæ probrum natiuitatis, utpotè videntes ipsum natum ex puellâ & non muliere conjugatâ? Quanto despiciatu pro-

scidissent tum personam, tum doctrinam ipsius? Nam si, cum nihil invenirent reprehensioni obnoxium in illo, nec, quoad ortum ipsius, quem trahebat è Patriarchis & Regibus Israël: nec quoad mores, quos exhibebat omninò intaminatos: nec quoad doctrinam ipsius, quam admirati debebant, utpotè sublimem, sanctam & solidam: nec quoad omnem aliam agendi & vivendi rationem, quæ maximâ referta erat Sapientiâ: si videntes putrate illum innumera miracula ad confirmandam doctrinam suam, & præbendum illis evidentiâ argumenta, in suis se manibus tenere omnipotentiam Dei, non destiterint onerare ipsum calumnijs, injurijs, opprobrijs, omnisque generis scommatibus: quid fecissent, si intentare potuissent ipsi criminationem natalium, quos judicio humano aspexissent vel levi infectos notâ, quamvis reverâ maximis resplenderent prodigijs? Nonne id obstitisset plurimum bonis Eventibus Missionis ipsius? Sed quando videbatur legitimo prognatus foro, obrutabat id os maledicentiæ inimicorum ipsius. Nonne secunda hæc ratio demonstrat optimè necessitatem matrimonij in Sanctissimâ Virgine?

Et quando dux hæc magis efficaces rationes non sufficerent, quanta aliarum se obruderet multitudo? 1. Nonne oportebat Sanctissimam Virginem dari in custodiam

Kk 3

Vito

Quia si non à desponsatâ nasceretur, illegitimus haberetur: sic doctrina ejus justè coram hominibus refutaretur. Ita Albertus Mag. in G. 1. Lucæ.

Aliæ plures pulchræ rationes, ob

quæ copu-
landa erat
matrimo-
nio sanctis-
sima Virgo,

Viro Angelicâ puritate insigni, qui
futurus erat testis & fidelis conser-
uator Virginitatis ipsius, ad tollen-
dum cæteris vitis omnem ansam
malè cogitandi de illâ, utpotè jam
viro conjunctâ? 2. Nónne oportebat
ipsam habere virum ex eâ-
dem suâ familiâ, ut cognoscere-
tur per Genealogiam Sancti Jo-
seph, illa castissimæ Conjugis suæ:
Siquidem in antiquâ lege moris
non erat, Genealogias disponere
mulierum, sed solummodò viro-
rum? 3. Nónne oportebat San-
ctissimam Virginem aliquem habe-
re superiorem, cui venerabundam
exhiberet obedientiam, ad insti-
tuendum fœminas, quâ submis-
sione, quâve humilitate suos ho-
norare debeant maritos? 4. Nón-
ne oportebat ipsam habere socium
& adiutorem in portandis gravio-
ribus Sanctæ familiæ laboribus,
quos exantlare magis convenit vi-
ros, quàm fœminas? Quando e-
undum erat in Bethleem, ad ob-
temperandum mandato Imperato-
ris de præstandâ nominum inscrip-
tione; quando sugiendum erat in
Ægyptum ad subtrahendum Infan-
tem JESUM persecùtioni Hero-
dis: quando conficienda erant alia
itinerà, modò Jerosolymas, modò
ad loca alia? Nónne vivere oportebat
Matrem & Filium sub directione &
protectione alicujus viri Sancti? Nónne
oportebat Sanctissimam Virginem
honorare & sanctificare omnes tres status,

Ipsa Exem-
plar est Vir-
ginum, cõ-
jugum, vi-
duarumq;.

quos amplecti possunt personæ se-
xus ipsius, nempe illum Virgi-
num, illum conjugum, & illum
viduarum? O perfectum Exem-
plar mericò imitandum! O sola-
tium pro omnibus? in quocunque
sint statu, moderati suam possunt
vitam juxta Sanctissimæ Virginis
exemplum. Sed relinquamus, si
velis, rationes has, quæ tam lu-
culenter ostendunt necessitatem
Matrimonij in Virgine Sanctis-
simâ.

Sanctus Martyr Ignatius, Coe-
taneus Apostolorum, assert adhuc
aliam, quàm Sanctus Hierony-
mus, & plures Sancti Patres cum
ipso, maximi æstimârunt, quæ ta-
men ab alijs non ita benè fuit com-
prehensa. Affirmat is, quòd vo-
luerit Deus Matrem suam Virgi-
nem esse conjugatam, ut deciperet
diabolum, ipsûmque celaret
maxima tria mysteria sub hujus ma-
trimonij velamine; nimirum Di-
vinitatem JESU Christi, mortem
Dei immortalis, & Virginitatem
Matris Dei. Dæmones decepti
sub specie matrimonij, & Nativi-
tate alicujus Filij, qui mundum in-
gredi videbatur velut alij, non cog-
noverunt ab initio; nec, quòd
hic Infans esset Deus; nec, quòd
Mater ipsum pariens esset Virgo;
nec quòd cruentum montis Gol-
gothæi supplicium, magnum esset
sacrificium Dei immortalis, pro
redemptione mundi. Hæc omnia
non cognoverunt, quantumvis
subtri,

S. Ignatius
Martyr
stolâ ad
Philippo-
ses & Ephe-
sios,

LUC.

Mar

Der
dubi-
tation-
tion-
sa

subtilissimi & acutissimi essent Spiritus.

Non poteram me cohibere, quin interpellarem ipsum, cum videretur mihi dicere prorsus oppositum illi, quod observaveram in Evangelio. Ecce inquis, ignorasse Dæmones, quod JESUS CHRISTUS sit verus Filius Dei. Lege caput quartum Evangelij S. Lucae, id expressè dicit, plures dæmones virtute JESU CHRISTI è corporibus ejectos, fugam capientes exclamasse: *Quia tu es Filius Dei.* Non solum cognoverunt illum, sed etiam ut talem illum confitebantur & palam faciebant. Et in primo capite Evangelij Sancti Marci, aliquis Dæmon ita ipsummet alloquitur: *Scio quis sis, Sanctus Dei.* Certum igitur est, quod ipsum noverant.

Verum, nonne vides, respondit mihi, dæmones nonnisi ambiguos fuisse, incertisque palpasse manibus, incedentes more cæciformis, & ignaras, quid credere deberent? Quando viderunt ipsum fugientem in Ægyptum; est pauper infans velut alij, quem Pater & Mater ipsius fugâ subducunt necis: quando aspexerunt ipsum tolerare famem in deserto; homo est, ut quisvis alius; sed videntes ipsum, suum prosequi jejunium quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; Ecce id, quod excedit vites hominis: an forsitan Filius Dei erit? Tentemus, & videamus: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant; si fecisset, evidens argumentum fuerat; sed facere noluit; incertum igitur manet. Quando viderunt ipsum tantam ingentia patrantem miracula; Ecce tibi id, quod opus non est puri & simplicis hominis: Sed tamen, etiam Prophetæ patrarunt ejusmodi; nihilominus hic patrat ex propria virtute & potestate suâ: an Filius ergo Dei is erit? Tentemus, & dicamus ipsi, quod sit, ut videamus, an responsurus sit, ita vel non; dixerunt ipsi, & is composuit illis silentium: nesciunt ergo, quid judicare de re debeant.

Magnus Apostolus nonnè manifestis verbis affirmat, quod non cognoverint ipsum: *Nemo principum hujus sæculi cognovit.* Sic nuncupat Dæmones juxta morem ac stylum Evangelij; si enim cognovissent ipsum, nunquam crucifixissent gloriæ Dominum; abfuisset procul, ut exstimularent Judæos ad hanc sævitiam, quàm exercebant in ipsum; sed potius absterruissent illos, ne crucifigerent ipsum, ad impediendam Redemptionem mundi. Et Sanctus Ambrosius in Commentarijs suis super Epistolas Sancti Pauli, optimè dicit, quod, quando occiderunt JESUM CHRISTUM, non crediderint, occidere se Deum, quodque de eo certi non fuerint, nisi quando expulsi sunt è mundo, & abolitum aspexerunt Paganismum

virtu-

virtu-

Luc. 4.

Marc. 1.

Dæmones
dubitabant
circa cognitionem
JESU
Christi.

1. Cor. 1.

Dæmones
ignorarunt
JESUM
Christum.

S. Ambrosius
in epist.
S. Pauli.

virtute & potentia Crucis ipsius, & ubivis terrarum firmatam Religionem Christianam.

Transcat, reposui ipsi, quod cognoscere non potuerint divinitatem JESU CHRISTI, & fatum morientis Dei; cognoscere tamen poterant naturaliter, quod Sanctissima Virgo semper consecraverit Virgineam suam integritatem, quamvis conjugata fuerit, & fuerit Mater: Ita quidem, falsus est mihi, nisi Deus celare voluisset ipsos hoc mysterium, avertendo ipsorum studium ab eo, per quod devenire poterant in hujus cognitionem: Sicque matrimonium Sanctissimæ Virginis, nec minimum reliquit ipsis suspicionis vestigium: Siquidem, uti egregie dicit S. Augustinus & post ipsum S. Thomas, Dæmon multa potest per potentiam suam naturalem, à quibus impeditur ab Omnipotentia Dei: alias enim profligata ipsius malitia quantas strages ederet in universo mundo? Verum est, ipsum naturaliter cognoscere potuisse, quod Mater JESU Christi semper permanserit Virgo: Sed Deus, cui placet obsecrare sapius sapientes sæculi, permittens ignorare ipsos veritates plurimum manifestas, non permisit dæmonibus, ut cognoscerent integritatem Matris Virginis, quæ integritas absque hæc obsecratione, quæ Deus ipsorum obvelavit intellectum, ab eis facile cognosci potuisset.

D. Thom.
2. p. q. 19.
art. 2. ad 3.
An dæmones cognoscere potuerint naturaliter, MARIAM esse Virginem Matrem.

Relinquamus etiam, si velis, hanc rationem, quamvis tanti æstimatam à Sanctis Patribus. Ad stabiliendum matrimonium Sanctissimæ Virginis cum Sancto Joseph, nonne sufficiebat dicere, quod opus fuerit illi amico intimo, fideli depositatio omnium arcanorum cordis sui, quod opus illi erit altero se, cum quo non haberet nisi cor & animam unam, & cum quo verba facere posset de ineffabilibus mysterijs in Incarnatione verbi complendis, de reparatione tam amplæ gloriæ Dei in Redemptione mundi, de abundantia gratiarum in universum orbem liberalissime effundendâ; Colloquia de rebus divinis oblectant animas, quæ Dei notitiam habent, & quanto hæc fuerit major, tanto major & erit oblectatio ex reciproco hausta colloquio. O DEUS! quis effari poterit, quæ familiaria fuerint colloquia Sanctissimæ Virginis & Sancti Joseph! quando hæc animæ tam similes in gratiâ, in cognitione, in amore & sapore Dei, sibi invicem communicabant ea, quæ receperant à Deo in sublimibus suis contemplationibus, nonne credis, ipsos è cælo Angelos studiosâ attentione hæsisse defixos, ut auscultarent illas cum reverentiâ, & addiscerent ab eis sublimes veritates circa Mysterium Incarnationis Verbi, quibus reddebantur attoniti? O MARIA! O Joseph! O Sacri depositarij ocul-

Sanctus Joseph erat maritus, et intimus et socius amicus sanctissimæ Virginis.

occultissimorum arcanorum Dei, quam parum agnoscimus, quid in vestris actitatum sit animabus; quid vestrae conceperint mentes, quid vestra gustaverint corda, quid vestra pronuntiaverint ora. Sed quia nos digni non sumus, quibus in hoc sacrarium pateat aditus; saltem permissum nobis sit id adorare, id admirari, id adamare, desiderando arctissimam & intimam habere unionem cum cordibus vestris, & eosdem, quos habuistis, & habebitis in aeternum, foveamus erga Deum affectus, nutriamus sensa, inflammemus desideria.

Ultima haec verba, quae proficisciebantur e corde, devotionis affectu erga Sanctissimam Virginem & Sanctum Josephum plenissimo, excitantur omnium praesentium affectus, & aperuerunt illis ora, ut quivis suam exponeret mentem, suamque opinionem circa excellentiam & felicitatem divini ipsorum matrimonij. Et ecce, quid dixerint nobis quatuor aut quinque personae, quae coram ad-

rant.
* *
*

ARGUMENTUM.

Diversi Conceptus devoti circa Matrimonium Sanctissima Virginis cum Sancto Joseph.

ARTICULUS III.

Quantum ad me, dicebat unus, quando aspicio Deum duos inter homines, JESUM, nempe MARIAM inter & Joseph, adoro profundum hoc mysterium, & videre me credo duos Cherubinos, insidentes Arcae foederis uti annotatur in Exodo. Extendebant ipsi alas suas, ut quilibet obtegeret ex parte sua propitiatorium, superiorem scilicet Arcae partem, ubi Deus sua reddebat oracula, seque monstrabat propitium precibus sibi oblatis. Unus e Cherubinis praeferebat imaginem alicujus pueri, & alter alicujus

B. P. Isaac Consultar, Tom. III,

puellae, juxta observationem Arias Montani in apparatu suo; Et ambo sibi invicem oppositi, tenebant faciem suam paulisper inclinatam, & oculos suos defixos in propitiatorium, in quo se semper invicem aspiciebant, velut in speculo, eod quod confectum id fuerit ex ingenti laminâ auri purissimi, & aefabrè elaborati, perquam testi & expoliti, quod representabat, quidquid appropinquabat ipsi.

Arias Montan. in appar. suo,

Credo me non falli, dum dico, verum Propitiatorium, cujus antiquum nonnisi figura erat, esse JESUM Christum: Nonne ipse

MARIA & Joseph aspicientes JESUM Christum, erant

L. I. red-

Exod. 25.

duo Cheru-
bini aspici-
entes pro-
pitiatoriū.

Joan. 15.

reddidit nobis Deum propitium, ipſius placans itacundiam, median- te ingenti beneficio Redemptio- nis? Nōne per ipſum manifeſta- vit nobis Deus oracula æternarum ſuarum veritatum? *Omnia, qua- cunque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Nōne per ipſum ex- audit Deus preces noſtras, nobis- que ſuas impertitur gratias? Quan- do obſecrat & orat Eccleſia, fermè omnes ſuas concludit orationes: *per Dominum noſtrum JESUM CHRiſtum;* eòquòd noverit, ipſum verum eſſe propitiatorium, cujus virtute efficaciſſe reddantur preces noſtrae.

Quid igitur ſunt MARIA & Jo- ſeph, Sacratiffimi matrimonij vin- culo ſimul uniti, quàm duo Cher- rubini, operientes propitiatorium alis ſuis? ambo extendebant bra- chia, ſibiſque invicem porrigebant manus, pro deſenſione, ſuſtenta- tione, cuſtodia & ſervitio Infantis JESU: ambo nonniſi pro ipſo ha- bebant oculos, nec corda, niſi ad amandum unicè ipſum: & abſque eo, quòd directè ſe invicem aſpi- cerent, aſpiciabant ſe ſemper in ip- ſo, velut in Divinitatis ſpeculo, in quo Deus Pater ab æterno contem- platur ſe ipſum, & in quo omnes Beati ſe cognofcunt, ſeque invi- cem amant perfectiffimè. In ado- rando hoc ſpeculo MARIAM & Joſeph ſe cognofcebant, ſeque invicem amabant amore arden- tiſſimo.

O Beatiffimos Conjuges! qua- rum erat unio puriffimus JESU Chriſti amor, non aſpiciendum, nec amantium ſe, niſi in ipſo & pro ipſo! O Beatiffimos Arcae Cho- rubinos, quibus aliud exercitium non erat, niſi extendere manus ſuas ſuper verum propitiatorium, contemplando illud, & aſpicien- do ibi Majeltatem Dei annihilatam ex amore hominum! O beatiffi- mos depositarios omnium divitia- rum Creatoris & creaturarum, qui- bus alia cura non erat, niſi conſer- vare pretioſum hunc theſaurum majori cum ſolicitudine, quàm propriam ſuam vitam, ò Deus! ſi omnes Conjuges eximium hoc aſpicerent Exemplar, & contende- rent pro vitibus conformare ſe illi! Inprimis non tantum amando ſe a- more purè naturali, qui abjectus nimium eſt pro animabus Chriſtia- nis; ſed amando ſe amore, qui ſolus ipſorum ſit dignus cordibus, quiſque ſolus ipſorum unionem in- variabilem reddere poſſit & con- ſtantem. Secundò porrigendo ſi- bi invicem manus, & extenden- do illas communi conſenſu ſupra propitiatorium: id eſt, firmum ac ſolidum formando propoſitum, præcipuam & quaſi unicam ſuam collocandi curam in exercitijs pic- tatis, ad procurandum ſibi invi- cem bona æterna, in quo vera conſiſtit amicitia: Et tandem ſuos aſpiciendo liberos, velut pretioſa depoſita ſibi à Deo in cuſtodiam collo-

Pulchriſ-
ſimus
conjugi-
bus, ut
ſcatur
ceteram
re ſe
in Deo

collocata, illos ipsi conservando sollicitè, custodiendo ipsos anxie à mundi spiritu, qui pestis est animarum; & replendo mox ab initio illos magno fervore spiritus Dei, ut restituant hos illi puros & Sanctos in æternitate. O Deus! quam refertum foret ejusmodi matrimonium cæli gratijs & benedictionibus, quin & consolationibus temporaneis, pro eo, quod pleraque matrimonia miseriarum abyssus sint & barathra.

Omnes rerum naturalium indagatores, loquentes de palmâ, quâ ob altitudinem, ob rectitudinem, & fortitudinem suam est symbolum victoriæ, conveniunt in hoc, quod inter illas mas sit & femina, quodque una fructum aliquem producere non possit absque præsentia alterius: necesse igitur est connubio quasi uniri palmas, ut sint fecundæ; sed connubium hoc tam parum est, ut opus non sit tangere se invicem, neque radicibus, neque ramis; sed sola sufficiat præsentia ad progignendos fructus. Unde est, quod Deus ostendere nobis voluerit hoc prodigium naturæ, quod prorsus est singulare, tamque inusitatum, ut nihil videatur ejusmodi neque in alijs arboribus, neque in animalibus? Nonne affirmari posset, ut esset nobis symbolum purissimi & fecundissimi matrimonij Sanctissimæ Virginis, & Sancti Joseph.

Alius quidam, qui erat Musicus, Matrimonium inter MARIAM & Joseph erat quasi Symphonia quædam, unde nasebatur Verbum quoddam intelligibile & delectabile fovebat alium in animo suo conceptum, quem jucundiorum credebatur esse, quemque manifestare anhelabat nobis. Nobis, inquit, solenne est, absque intermissione instituere connubia, quæ tam pura sunt, ut purior esse non possit spiritus, quæque nihilominus tam sunt fecunda, ut omnia quæ producunt, non possint enuntiari. Nos dum facimus concertum, efficiamus consensum, maritamur voces, diversos copulamur tonos, & ex hisce connubijs, tam pulchram progignimus harmoniam, ut abundet illecebris, quas plures plures æstimant, quàm omnes in mundo pulchritudines. Nostra conjugia tam arctam efficiunt unionem, ut è multis diversis vocibus, videantur constituere non nisi unicam solam; vel si discernitur, ipsas plures esse, tamen semper observatur, ipsas perfecte esse concordas, non solum inter se, sed etiam cum omnibus; non enim videtur, quod ullam unquam ulli concitent offensam; sed potius omnes approbant bonum ipsarum consensum, omnesque oblectantur ex eo, si benè inter se conveniant.

Plurimi hujus rei ignorant causam: Sed ego hanc indagans investi, quod è conjugio harum vocum, nascatur certum quoddam verbum sensibile, intelligibile atque harmonicum, quod sese in-

Verbum æ-
ternum red-
dicum fen-
sibile & in-
telligibile
cunctis ho-
minibus est
Carmen
quoddam
Musicum,

Ezech. 33.
v. 32.

sinuet per aures in ipsam usque no-
stram animam, habeatque tantum
Sympathiæ cum illâ, ut non nisi
summâ cum benevolentia ab hæc
possit accipi. Cogitatio hæc de
verbo intelligibili & harmonico,
quod suaviter sese insinuat usque
in animam nostram, credete me
facit, quod nostræ harmonia Mu-
sices mirificè repræsenter purissi-
mum & fecundissimum Sanctissi-
mæ Virginis cum Sancto Joseph
connubium: Siquidem è Sæcto
hoc connubio nasci aliud non vi-
deo nisi Verbum quoddam tam
suave, tamque harmonicum, ut
non solum oblectet omnes tres a-
dorandæ Trinitatis personas, æter-
nâ cum extasi percipientes illud;
non solum abripiat omnes Beatos,
qui nec momento unico divertere
se possent ab illius auscultatione:
Sed etiam hæc in terris se in nostras
insinuans animas, lucretur illas,
repleat ipsas gaudio, demulceat
omni voluptate & jubilo. Hinc
est, quod Deus dicat nobis per
aliquem Vatum suorum, quod
Verbum ipsius sit nobis, *quasi*
Carmen Musicum, quod suavi dul-
cique sono canitur. Et unde ori-
tur dulcis hic sonus, Carmen hoc
Musicum? MARIA & Joseph
maritantur & conjugantur velut
duæ voces in Musicâ: Et ecce
Verbum tam suave, ut suâ abri-
piat dulcedine omnes mortalium
mentes ac animas.

Concensus.

Quod majorem hæc ciet admi-

rationem, est, quod non nisi par-
tium sit una, quæ substantialiter
producat totam harmoniam, dum
altera nihil hic facit, nisi per Sym-
pathiam. Obstupul sapius, expe-
rimentum capere volens alicujus
prodigij, cujus meminit S. Grego-
rius in suis moralibus. Aptabam
duas Cytharas eodem tono & æ-
qualibus omnino chordis, quarum
unam dum pulsabam, responde-
bat altera per sympathiam, eos-
demque reddebat sonos, quamvis
aliquantò dulcius, citra quod ab
ullo tangeretur. Considero MA-
RIAM & Joseph velut duas cy-
tharas eodem aptatas tono; am-
bo sunt Virgines, ambo abundant
gratiâ, & valdè similia fovent in
animo suo sensa, uniti & conjun-
cti inter se arctissimè, destinati ad
hoc à Deo, ut admirandam pro-
ducant harmoniam Verbi sui In-
carnati: non nisi una è duabus hi-
scè tangitur Cytharis à manu Dei:
Spiritus Sanctus, quem Ecclesia
appellat digitum Dei; operatus est
totum prodigium in MARIA; &
nihilominus altera cythara, quæ
nullum passâ est contactum, non
intermittit resonare per sympa-
thiam, eosdemque refundere so-
nos. O Symphoniam admirabi-
lem! Credebat mundus, has duas
voces simul junctas non facere nisi
unam, nosque ambobus obstrin-
gi, quod produxerint nobis ado-
randum hoc Verbum, quod con-
cordiam fecit & pacem, per dul-
cem

Sancti Jo-
seph cum
Sanctissima
Virgine per
Sympathiam

S. Gregor.
in moral.

Feli-
ver-
ber-
thia
JES-
RIA
sep-

cem suam harmoniam inter cœ-
lum iratum & terram peccatricem.
*Qui facit concordiam in sublimi-
bus suis.*

O amantissime DEUS ! quàm
bonum est habere sympathiam
cum animabus Sanctorum , cum
animâ Sanctissimæ Virginis , &
Sancti Joseph , & præcipuè cum
anima JESU Christi. Sympathia
hæc fundatur in perfectâ similitu-
dine cum ipso ; si nimirum ead-
em cum ipso amplectamur sen-
sa , judicemus de rebus , ut ju-
dicat ipse , æstimemus , quod ip-
se æstimat , contemnamus , quod
ipse contemnit , eosdem tenea-
mus affectus , amando quod ipse
amat , abhorrendo , quod ipse
abhorret. Si nostra Sympathia
vera est , si magna est , non nisi
eandem facimus harmoniam , &
nostrum cor arcè divino ipsius
cordi unitum , respondebit ad
omnes illius attactus. O JESU,
quàm ardentè desiderat Cor
meum habere perfectam hanc Sym-
pathiam cum corde tuo ! divelle
à me , quidquid impedit eam ,
nihil relinquant , nec parcas natu-
ralibus propensionibus meis ,
omnino enim illas mori volo , ut
deinceps alias non habeam , nisi
tuas. Amplector omnia sensa
tua , affectus tuos , illòsque se-
quar in omnibus & per omnia ,
quancùnque etiam steterit mihi.

Tandem tertius quidam rotam
concludit Consultationem , re-

linquendo nobis idæas adhuc ma-
gis sublimes circa purissimum
Sanctissimæ Virginis cum Sancto
Joseph Matrimonium : Siquidem
dicebat nobis , se attendere JE-
SUM , MARIAM & Joseph , ve-
lut creatam quandam Trinitatem,
quæ eximie representet gloriam
& excellentias Trinitatis increatæ,
quæ complectitur Patrem , Filium
& Spiritum Sanctum : In harum
Trinitatum unâ intueor tres Per-
sonas , quæ non habent nisi unam
eandemque substantiam omnibus
tribus communem absque divi-
sione & absque ullâ separatione :
Et hæc est Trinitas adoranda. In
alterâ non videtur quidem per-
fecta hæc unitas essentia intribus
Personis ; nihilominus ratione
quâdam dici potest , non habere
illas , nisi unam eandemque sub-
stantiam communem omnibus tri-
bus : Quæ enim substantia est
Filij , nisi substantia Matris ? *Caro
Christi , Caro MARIE* : Ad quem
autem spectat hæc substantia Ma-
tris nisi ad S. Joseph conjugem ip-
sius purissimum , qui legitimo
Matrimonij sui jure ejusdem fa-
ctus est dominus ? Ecce igitur
unam eandemque substantiam ra-
tione quâdam communem om-
nibus tribus personis Trinitatis
creatæ.

In Trinitate adorandâ tres nu-
mero Personas realiter à se invi-
cem distinctas , & tamen non vi-
deo nisi unum solum DEUM : Et

Ll 3 in

Compara-
tio inter
Trinitatem
increatam
Patrem, Fi-
lium, &
Spiritus
Sanctum, &
inter Tri-
nitatem
creatam.
JESUM
Mariam,
Joseph.

Felix, qui
veram ha-
bet Sympa-
thiam cum
JESU, MA-
RIA & Jo-
seph.

in Trinitate creatâ numero quæque tres realiter à se invicem distinctas Personas; & tamen non adoro nisi unicum solum DEUM: Tres Personæ sunt JESUS MARIA, & Joseph; & solus DEUS est JESUS Christus.

In Trinitate Sacro Sanctâ, video quidem duas auctoritates: Siquidem Pater habet auctoritatem quandam originis in Filium; unde est, quod habeat potestatem mittendi ipsum in terras: Pater & Filius habent auctoritatem quandam Originis in Spiritum Sanctum, & idèd potestatem habent mittendi illum; sed non video hîc nec mandatum, nec obedientiam eòquod nulla adsit nec superioritas, nec subiectio in tribus Personis. Et in Trinitate creatâ, quæ ipsius imago est, video Sanctissimam Virginem habere quidem auctoritatem naturalem in Filium suum Unigenitum, eòquod ipse sit Mater, & Sanctum Josephum habere auctoritatem legitimam in Matrem & Filium, eòquod Sanctæ familiæ sit Caput & rector: Sed non video mandatum hîc vel præceptum, vel imperium. Quis enim præciperet, quis imperaret alijs? an Puer JESUS? sed scriptum est de illo, quod obtemperet Josepho & MARIE: *Et erat subditus illis.* An igitur Sanctissima Virgo? sed ipsa omnium creaturarum erat humillima, eumque

Luc. 2.

probè nosset, debere se reverentiam & obedientiam Josepho veluti conjugii & marito suo, longissimè aberat, ut ipsi imperaret. An ergò erat Sanctus Joseph, qui imperaret veluti Dominus. O quantum aberat à Sancto viro, imperare DEO suo, & Matri DEI sui, erga quos venerationem maximam lovebat in corde suo! ô familiam omninò prodigiosam! ô perfectam adorandæ Trinitatis imaginem, ubi tres Personæ non habent, quod sibi invicem mandent, eòquod non habeant nisi unum Cor, & eandem voluntatem.

Videbam inter has omnium præsentium diversas cogitationes mentisque conceptus, resplendere aliquid tam magnum è maximis & mirificis Sancti Joseph excellentijs, ut summò accederet desiderio, aliquantò plenius cognoscendi illas. Hinc obsecravi charitativum Viatorem & Ductorem meum, qui melius illas noverat cunctis alijs, ut institueret mihi de illis Consultationem integram: Suscepit munus tantò libentius, quod adverteret, totam societatem me non minori hujus teneri desiderio. Opus in alterum diem dilatum fuit: Et ecce, quas nobis notitias, cognitiones, affectus communicaverit circa illas.

CON